

guntur, excoluntur, & ad sui perfectionem tandem deducuntur. Quapropter, cum hisce nundinis Paschalibus fortè inciderem in binas tuas decades disputationum, Questionum illustrium Philosophicarum, in quibus ex universa Philosophia quæstiones Metaphysica, Physica, Mathematica, Musica, Ethica, Politica, Historica, Logica, Rhetorica, Poëtica, Grammatica &c. proponuntur & disceptantur, non parùm gratulatus sum nobis de hac felicitate temporum, quibus omnes artes quasi reviviscunt, studiosissimè excoluntur & perficiuntur: Sed in primis tamen placuit mihi quòd quæstiones Musicas insertas vidi, id quod nunquam antehàc eà industrià factum esse existimo, & te primum esse judico, qui Musicas disputationes in scenam producere & ejus fundamenta excutere volueris. Nec dubito; si hujusmodi mos de Musicis etiam rebus disputandi invaluerit, quin hujus ævi Musica, olim in organis Pneumaticis tum temporis rudissimis & simplicissimis inventa, in aulis Principum inter homines ab omni ferè elegantia doctrinà imparatos utcunq; exculta, & tan-